

De praecepto confessionis et communionis tempore Paschatis.

(Schluß.)

De sacerdote proprio et loco dispensationis paschalis communionis.

Interrogamus, quis in dispensatione communionis Paschalis sacerdos proprius audit? Et respondemus: Parochus proprius, aut ejus vicarius vel delegatus, qui solus et tantummodo in ecclesia parochiali omnibus sibi commissis fidelibus communionem paschalem dispensare potest. Juxta Gobat, ille huic praecepto satisfacit, qui tempore Paschali Eucharistiam accipit in privata ecclesia e manibus Parochi sui vel ejus delegati. Quod in hunc finem fieri solet, ut oves cognoscant suum pastorem.

S. Ligorius idem probat et docet: dicens. Neminem posse extra parochiam praecepto Communionis satisfacere, aut saltem extra cathedram sine licentia parochi aut episcopi, vel ejus vicarii, sufficit tamen in hoc licentia praesumpta, seu interpretativa, ut dicunt Suar. Lugo. Salm. Busemb., dummodo adsit moralis certitudo consensus illius.

Nonnulli affirmant, licere Communionem paschalem fieri in ecclesiis regularium, sed communiter reprobatur a Suar. Lugo. Salm. Tambur etc., cum Deer.

S. C. nec privilegia suffragantur, dum sæpe Pontifices declararunt, quoad communionem paschalem illaesum servandum esse jus parochorum. Et præcipue Clem. VIII. anno 1592, postquam declaravit, regulares quovis tempore etiam paschali licite posse audire confessiones sæcularium, subjunxit: Dummodo tamen sacramentum Eucharistiæ festo Paschalis Resurrectionis in propria parochia ab eorum paroco sumant. Idemque statuit Clemens X. Imo apud Benedictum XIV. adest decretum sacr. Congregat. 9. Julii 1644 et confirmatum die 11. Junii 1650, quo sancitum est, posse Episcopos prohibere regularibus, ne in die Paschatis ministrent Eucharistiam sæcularibus, etiamsi ipsi satisfecissent præcepto ecclesiæ. Et quamvis 31. Januarii 1682 ab eadem S. C. ad instantiam parochorum Lovaniensium, qui contendebant, P. P. societatis Jesu non posse ministrare Eucharistiam toto tempore paschali, responsum fuit, posse ministrare, excepto die Paschatis, tamen intelligendum est, præsupposita Episcopi prohibitione. Hucusque s. Ligorius. P. Edmund. Voit in sua theolog. morali tom. II. cap. III. art. I. §. 3. casus VI. Q. III. n. 347. de communionem Paschali, præcedens decretum S. C. 31. Jan. 1682 ita continuat, excepto die Paschatis: ita tamen, ut sæculares sumentes Eucharistiam in ecclesiis regularium in aliis diebus a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusive non satisfaciunt præcepto ecclesiastico.

Ratio et finis hujus est, ut oves recognoscant suum pastorem. —

Quibus ex causis parochis in suis parochiis de communionem paschali in omnibus disponendi jus competit.

Sic in synodo quoque Colon: sub Maximiliano Henrico, teste La Croix, statutum est (n. 636): ut puerperæ paschalem communionem domi saltem sumant, neque

donec in ecclesiæ introductæ fuerint, eam differant, nisi parocho aliud videatur.

Peregrini, a parochia longe absentes, possunt communicare in qualibet parochia, nec tenentur in loci parochia, ubi reperiuntur.

Qui ob impedimentum quoddam, e. g. navigatione etc., tempore paschali communicare non possunt, ante hoc tempus, aut si alias fieri nequit, post Pascha præcepto Ecclesiastico satisfacere tenentur. —

In diœcesi nostra, sicut in aliis, præprimis ruri mandatum conc. Trident. sess. 24. cap. 13. Mandat s. synodus Episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas proprias parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas agnoscere valeat et a quo solo licite sacramenta suscipiant; accuratissime observatur. Et ita omnes fideles tempore Paschali proprio parocho aut ejus vicario (Cooperatore) in parochia et confitentur et communicantur.

Parochus aut curatus fideles suæ parochiæ secundum sexum et habitationes, et cœlibes et conjugatos separatim, diversis definitis diebus, antea e suggestu proclamationis, ante paschalem confessionem et communionem ad instructionem et examen de Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramento provocat, ubi ipsi de necessaria suorum subditorum ad hæc sacramenta rite et digne accipienda fidei et morum doctrinæ scientia sese certiores reddere, illosque, quibus deesset, domo sua aut alio apto loco seitu necessaria edocere opportuna præbetur occasio.

Sat instructis et rite dispositis schedulas, hoc testantes (Zehrzettel) distribuit, pro quibus ante confessionem paschalem confessario traditis, jam confessi, alias

ipsam confessionem et communionem paschalem testes (Beichtzettel) accipiunt.

Ex quibus a singulis collectis et nomine eorum e serie communicandorum deleta vel notata certitudinem de numero et nominibus communicatorum obtinet et ita juxta Currendam Consistorii Linc. 7. Januarii 1793, eamque 13. Septembris 1805 Nr. 850, hac de re de sibi subditis parochianis (Kommunifantenbericht) referre potest.

Sed parochus ad licentiam alii confessario etiam extra parochiam confitendi concedendam facilis sit, necesse est, dicente s. Thoma: Peccatori sacerdos, si non esset facilis ad præbendam licentiam alteri confitendi, quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali sacerdoti confiterentur. Unde illi, qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum suorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, et per sequens sibi ipsis.

Jejunium ad sumtionem s. Eucharistiae necessarium.

Ad suscipiendam sacram communionem requiritur jejunium naturale, i. e. tale, ut quis nihil sumserit cibi aut medicinæ ex puncto mediæ noctis. Quod petit summa reverentia sanctissimæ Eucharistiæ debita, ut cœlestis hic cibus præferatur omnibus reliquis, et fideles inter hunc divinum et alios communes cibos discernere assuescant, denique, ut Christum primum et primum animæ cibum omnibus esse debere, discant. —

Præceptum hoc ex perpetua ecclesiæ praxi et continua s. patrum doctrina, variorumque conciliorum decisione sat clare patet.

Jam s. Augustinus ad Januarium epist. 118. scribit.

Placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi: nam ideo per totum orbem mos iste servatur, in conc. Carthaginensi III. c. 48 dicitur: hanc consuetudinem sumendi Eucharistiam ante omnem cibum fuisse in conc. Nicæno confirmatam. Præterea ex ecclesiæ sensu et consuetudine, ut ex concilio Tolet. VII. cap. 2. patet, quod in hoc præcepto non detur parvitas materiæ. Præterea confirmatur ex Missali Romano de defectibus n. IX., ubi expresse habetur: Si quis non jejunos per mediam noctem, etiam post sumtionem solius aquæ vel alterius potus, aut cibi per modum etiam medicinæ et in quantumcunque parva qualitate, non potest communicare nec celebrare.

Dubium tamen, an deglutiverit aliquid a media nocte, non impedit a communione. —

Ad frangendum autem hoc jejunium requiritur:

- 1) Ut, quod deglutitur, ab extra sumatur.
- 2) Ut sumatur per modum commestionis aut potationis.
- 3) Ut habeat rationem cibi vel potus.

A non jejuno Eucharistia sumi potest:

- 1) Cum Communio datur per Viaticum in periculo mortis. Dictum est in periculo, quia ad recipiendum Viaticum non est necesse nec laudabile, expectare tempus, quando nulla amplius spes vitæ subest, sed sufficit, ut adsit periculum probabile mortis. Et tunc pluries in eadem infirmitate potest accipi Viaticum tum ad præcepti satisfactionem, tum ad robur adversus tentationes, in morte validiores, et periculosiores. Ita multi doctores cum Benedicto XIV, qui Episcopus hortatur, ut parochis insinuent, quod ipsi Via-

ticum in eodem morbo ministrare debent usque ad duas aut tres vices.

2) Potest sumi a non jejuno, cum subest periculum, ne Eucharistia pereat, aut male tractetur. Et tunc, si desit sacerdos, et a laico.

3) Cum periculum scandali esset, si omitteretur celebratio aut communio.

4) Cum perficiendum est sacrificium.

5) Licitum est non jejuno celebrare ad mortis periculum vitandum, modo id non exigatur in Ecclesiae contemptum. —

Ein Streiter der Kirche.

I.

In solchen Zeiten, in denen, wie in unserer, einerseits so wenig ernste Regsamkeit und dauernder Eifer für die Sache Gottes und der Kirche sich erwiesen, andererseits aber der heftigste Kampf für die Erhaltung ihrer heiligsten Güter auf das heftigste entbrannte, mag es dem priesterlichen Herzen zum wahren Troste, zur kräftigsten Ermuthigung gereichen, wenn es seine Blicke in die Vergangenheit zurücklenkt und unter den leuchtenden Heldengestalten der Kirche erquickende Umschau hält. Es dürfte hierüber kaum, am wenigsten von einem denkenden Manne, eingewendet werden, daß die Vorführung einer Persönlichkeit, die